DE SACRIS ARCANIS

BEATAE VIRGINIS

CONVERSIONEM AQUAE IN VINUM A FILIO SUO POSTULANTIS

IN NUPTIIS CANAE GALILAEAE

LIBER UNDECIMUS

HOMILIA PRIMA.

In illa verba: Nuptiae factae sunt in Cana Galilaeae, et erat mater Iesu ibi. Vocatus est autem Iesus, etc. *variae causae traduntur ex priscorum Patrum doctrina, ob quas Christus Dominus nuptiis interesse voluerit; illam tamen latius prosequimur, quae matrimonii approbationem tangit,adversus Haereticos illud refellentes, cuius et praeclara documenta tam viris, quam uxoribus praebentur.*

Cum alienum valde sit a viris spirituali vitae addictis, et maxime sacris initiatis, prophanis nuptiis, seu nubentium conviviis interesse; unde omnibus indiscriminatim (*Eccles. cap.* 7) ait: *Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum convivii;* merito sancti Patres soliciti fuere in exquirendis rationibus, et causis, ob quas Christus Dominus, omnis perfectionis archimagister, nuptiis in Cana Galilaeae adesse non fuerit dedignatus. D. Aug. (*in com. hui. loc.*) eam tangit rationem, ut singularitatem fugeret; forsan enim eo tempore moris erat, viros etiam spirituales ad nuptias invitari, ut sua modestia, et temperantia convivarum luxum, ac intemperiem compescerent: verba d. Augustini haec sunt: *Quisquis rebus praetereuntibus strictius utitur, quam habeant mores eorum, cum quibus vivitur, aut intemperans, aut superstitiosus est. Sapientia autem iustificata est a filiis suis.* Itaque, quia Christus Dominus, omnibus omnia factus, ut omnes lucrifaceret, voluit ex parte morem gerere his, cum quibus conversabatur, ut eos per familiaritatem ad se alliceret; d. Chrysostomus (*homil.* 20. *sup. Ioan.*) humilitatis causa factum putat, quod idem ipse non recusaverit convivio illarum nuptiarum invitatus adesse; sic enim ait: *Qui non est delignatus formam servi accipere, longe minus servorum suorum nuptiis interesse: qui cum publicanis, et peccatoribus conversabatur, multo minus nuptias recusasset.* D. Cyrillus (*lib.* 1. *in Ioan. c.* 22.) propterea existimat, inter alias causas, quas ibi adducit, Christum Dominum nuptiarum convivio adfuisse, quia sciebat, futurum esse, ut haberet occasionem insigne illud miraculum patrandi conversionis aquae in vinum, quo et potentiam suam ostentaret, et miraculi virtute animos hominum ad se converteret: verba d. Cyrilli accipe: *Honestae celebritatis nuptiis tam mater,quam ipse cum discipulis invitatus, adest, miraculi potius, quod facturus erat, quam convivii gratia profectus.* Severus Antiochenus (*orat.* 119), ut refertur in catena graecorum, viam aliam longe diversam ingressus, eam, mysticam magis, quam literalem, ut mihi videtur, rationem tradit; quod Christus Dominus propterea ad nuptias ierit, ut significaret, se de coelo in terram nuptiarum causa venisse, ut humanam naturam hypostaticae unionis indissolubili matrimonio sibi copularet. D. Hier. (*in Matth. lib.* 1. *c.* 9) universaliter loquitur: *Ibat Dominus ad convivia peccatorum, ut occasionem haberet docendi, et spirituales invitatoribus suis praeberet cibos.* Invitatus quidem a divo Matthaeo, illum eduxit de telonio, in quo multis erat peccatorum nexibus irretitus. In convivio Simonis Magdalenae peccata dimisit, et invitatori magni momenti documenta tradidit. In convivio Pharisaei hydropicum sanavit, et omnibus mensae assidentibus egregiam humilitatis parabolam proposuit. In convivio sororum Mariae et Marthae, excellentiam vitae contemplativae supra activam luculenter docuit. Ecce, Christus convivia non recusabat, ut occasionem haberet aliquid spiritualis fructus convivis impertiendi. Quod idem manifeste contigit in convivio nuptiarum in Cana Galilaea celebrato, Ioanne dicente (*cap.* 2): *Manifestavit gloriam suam, et crediderunt in eum discipuli eius.* Ecce credulitas discipulorum fructus fuit, quem Christus Dominus ex convivio illo collegit.

Omissis tamen his omnibus rationibus, ad eam accedo, quam multi sancti Patres docuere, et quam nos prosequi polliciti sumus. D. Cyrillus, d. Epiphanius, et d. Augustinus asserunt, consulto Christum Dominum pariter cum matre, et discipulis suis nuptiis interesse voluisse, ut sua praesentia nuptias, quas in statu innocentiae instituerat, approbaret, et Haereticorum insaniam, quos praevidit illas impugnaturos, refelleret. D. Cyrillus (*lib.* 2. *in Ioan. cap.* 22) sic loquitur: *Oportebat certe, quoniam totam naturam hominis ad melius restaurabat, non solum natis iam hominibus benedicere, verum etiam nascituris gratiam praeparare, et aditum illorum ad hanc vitam auctoritate miraculi, et praesentia sua sanctum efficere. Praeterea, in dolore paries filios ad mulierem propter peccatum, dictum fuit: quomodo igitur aliter haec depellenda maledictio erat, ne condemnata nuptiarum sanctimonia videretur, quam Salvatoris praesentia? qui, quum sit verum gaudium priscum nuptiarum, moerorem praesentia sui depulit.* D. autem Epiphanius (*haer.* 7) haec scripsit: *Eos, qui venerandas nuptias contraxerunt, Deus elegit, unumquemque enim in proprio ordine salvare solet; quomodo enim non erunt venerabiles nuptiae, et in Deo, habentes regnum coelorum, cum vocatus sit ipse Salvator ad nuptias, ut nuptias beneficeret? si quidem enim, recusasset ad nuptias ingredi, profecto nuptiarum exolutor fuisset; ut qui non suscipit unumquemque iuxta debilitatis ipsius veniam. Venerandae igitur sunt nuptiae, quoniam ipse illas decrevit. Quare ad nuptias accedit, ut obturet ora eorum, qui loquuntur contra veritatem.* D. autem Agustinus (*tract.* 9. *in Ioan.*) haec habet: *Quod venerit ad nuptias, confirmare voluit, quod ipse eas fecit: futuri enim erant, de quibus Apostolus* (1. *ad Timoth.* 4) *prohibentes nubere, et dicentes, quod malae essent nuptiae, et diabolus eas fecisset.* Haeretici vero nuptias improbantes imprimis fuere Simonis magi sectatores, dicentes, non esse opus Dei, ut tradit d. Clemens Romanus (*constitut. Apostol. lib.* 9. *cap.*8). Saturninus docuit, nubere, et generare a satana esse, ut refert Irenaeus (*lib.* 1. *cap.*12). Severus foeminam a satana factam, eosque qui cum foemina concuberent, satanae opus adimplere fabulabatur; atque ea de causa nuptias dissuadebat, ut tradit Nicaelas (*lib.* 4. *Orthod. fid. haeres.* 17). Hydroparastae, matrimonium scortationem appellant, et legitimam coniunctionem diabolicam nominant, ut auctor est Theodoretus (*l.* 1. *haeret. fabul.*). Tatianus nuptias reiicit, eas a satana esse dicens, ut tradunt Iraenaeus, et Epiphanius de Tatiano. Marcion, matrimonium, ut malum, et impudicitiae negotium reprobat, ut asserit Tertullianus (*lib.* 1.*cont.Marc.*), et Clemens Alexandrinus (*lib.*3. *stromat.*), necnon Hieronymus (*cont.Iovin.*). Manichaei damnant nuptias, ut testantur Epiphanius, August. et Theodoretus (*de illorum haeresib.*). Eustachius ita nuptias damnavit, ut diceret, nullum eorum, qui sunt in coniugio, in Deo spem habere, ut tradunt concilium Gangrense, et Socrates (*l.*2.*c.*33).

Ceterum, quantum hi omnes Haeresiarchae a fidei catholicae veritate aberrent, varia matrimonii encomia, quae paucis perstringam, aperte indicabunt. In primis enim, si rem altius perpendamus, certe sacri religiosorum ordines non parum commendantur ab eorum fundatorum dignitate, et sanctitate, mullo ergo magis ex hoc capite sacrum matrimonium commendari meretur; nam, si illi fundatores habuerunt antiquos patriarchas,Basilium, Benedictum, Augustinum, Dominicum, Franciscum, et alios similes magni nominis viros, matrimonium habuit primum institutorem, non creaturas, sed Creatorem, ut Christus Dominus luculenter testatus est (*Matt.*19) dicens: *Qui fecit ab initio, masculum, et foeminam fecit eos, et dixit: propter hoc dimittet homo patrem, et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una.* Quae verba elucidans d. Paulus (*ad Eph.*5) aliud non contemnendum matrimonii praeconium insinuavit in significatione eius fundamentum habens, dum asseruit: *Sacramentum hoc magnum est;ego autem dico in Christo,et in Ecclesia.*Quibus verbis significavit matrimonium primorum parentum typum fuisse, et imaginem arcanorum magni momenti; latet enim in eo mysterium beatissimae Trinitatis: nam sicut Adam a nulla creatura factus,ita et pater a nullo procedit;sicut autem Eva ex costa Adam, ita et Filius de substantia Patris, et sicut Abel,non ab uno,sed a duplice parente,Adamo,et Eva processit, ita Spiritus sanctus non a Patre, nec a Filio solo, sed ab utroque originem ducit. Adumbravit deinde matrimonium illud vinculum, et unionem hypostaticam humanae carnis cum persona Verbi divini, nuptias etiam divini sponsi cum Ecclesia militante per gratiam,necnon intimam coniunctionem cum animabus beatis in Ecclesia triumphanti per claram Dei visionem. Quod, si laudem matrimonii petere placet a statu, clare liquet eius excellentia, cum in felici statu innocentiae, in quo nondum homo peccaverat, fuerit institutum. Si ab antiquitate, manifestum est a primordio creationis mundi coepisse, atque adeo ante omnia sacramenta. Si a loco, quo Deus illud instituit, nemo ignorat, paradisum fuisse, ut sacra Genesis historia narrat; et quod mirabilius merito videri potest, et ex quo non modicam laudem matrimonium sibi conciliavit, illud certe est, quod Deus in paradiso, ut Adamum ad matrimonium contrahendum melius disponeret, immisit soporem in illum, et tulit unam de costis eius, ex qua formavit eius uxorem, ubi glosa inquit: raptum fuisse tunc Adamum in spiritu, et interfuisse curiae coelesti, et ibi agnovisse virtutem magnam matrimonii, et cuius rei esset sacramentum: et d. Augustinus

(*in comment. eiusdem loc.*) inquit: *Ecstasis recte intelligitur ad hoc immissa Adamo, ut mens eius particeps redderetur angelicae curiae, et intrans in sanctuarium Dei, novissima intelligeret. Unde vigilans spiritu prophetico ait: hoc nunc os de ossibus meis.* Quid plura? non modica matrimonii laus censenda est, quod Deus ipse velut sacerdos, et proprius minister illius, Adamum cum Eva sensibiliter coniunxit, et nunc quoque invisibiliter omnes coniuges, iuxta illud, *quos Deus coniunxit, homo non separet.* Ad haec illud putaverim non leve matrimonii encomium, quod inter tot millia virorum, et foeminarum omnes illi, quos servavit Dominus tempore diluvii, erant matrimonii vinculo coniuncti: nempe Noe, et uxor eius, et tres eius filii, cum totidem eorum uxoribus, ut habetur (*Gen.* 7). Quid quod matrimonium non solum terram, sed et coelum replet, et sedes vacuas ab angelis, qui ceciderunt, desertas implet, fere enim patriarchae omnes, prophetae, apostoli, martyres, confessores, virgines, ac sanctae viduae ex matrimonio prodierunt; et ipse Dei Filius carne indutus ex eo prodivit, quatenus matrem elegit virginem iam uxoratam, quod maiorem gloriam, ac splendorem matrimonio attulit. Ut enim dixit d. Augustinus (*de concep. et nupt.*): *Noluit Dei Filius carnem sumere ex ea, donec fuit in matrimonio collocata.* Quare, mea sententia, matrimonium Virginis fuit instar pallii, quo coelestem conceptum occultavit. Haec et similia sancti Patres contemplantes, multa in laudem matrimonii edixere; solius tamen Chrysostomi, et Lactantii egregia testimonia apponam.

D. Chrysostomus igitur (*hom.* 23. *in Gen.*) ait: *Placuit Enoch Deo, postquam genuit Mathusalem. Si nuptiae forent impedimentum virtutum, nequaquam nuptias in hanc vitam introduxisset Dominus; sed nihil obstant nuptiae, si sobrii esse volueriмus, immo magnam afferunt consolationem, dum comprimunt insanos naturae mores, nec turbari, quasi mare sinunt, sed quasi scapha, feliciter faciunt in portum appellere. Ne dicas igitur non possum bene vivere propter nuptias: nonne Moyses uxorem habuit, et tamen coelo manna deduxit? nonne et mare aperuit? Petrus, Apostolorum caput, nonne uxorem habuit?* affinia habet istis (*hom. de verb. Isaiae*): *Nihil*, inquit, *mali habent nuptiae; mulier, si proba, adiutorio tibi erit, si non fuerit commoda, sed improba, fac eam commodam. Uxor lob improba erat, et prava, sed quid nocuit illi? suasit eum blasphemare, numquid labefactavit turrim, aut deiecit adamantem, aut deputit militem? nihil horum; illa impellebat, et arbor reddebatur stabilior; illa fluctus excidebat, et naves non submergebantur. Sed ais: e paradiso me expulit, sed eadem in coelum induxit: bona uxor, est solatio, mala, est patientiae. Abraham nonne habuit uxorem? et tamen factus est pater omnium gentium. Quid Machabaeorum mater? nonne uxor fuit? nonne septem filios addidit sanctorum choro?* Lactantium Chrysostomo addamus (*de off. Dei cap.* 9) haec scribentem: *Qui habet coniugem, nihil quaerat extrinsecus, sed contentus ea sola sit; carnem castiget, et inviolati cubilis sacramenta custodiat; adulter enim Deo est, qui abiecto iugo, vel in liberam, vel in servam peregrina voluntate luxuriat.* Nunc iis iungamus et nos. Si ut sup. dicebam matrimonii quaerimus auctorem, non a Moyse, aut Lycurgo, non a Solone, sed ab ipso rerum omnium summo opifice conditum, atque institutum est, a Christo autem cohonestatum, consecratumque miraculorum suorum primitiis. Si leges a mortalibus institutas sacrosanctas habemus, nonne erit coniugii lex sanctissima, quam ab eo accepimus, a quo et vitam? quam legem ut confirmaret, ad nuptiale convivium cum matre lubens adfuit. Vetus lex adeo honoravit coniugii sanctitatem, ut qui sponsam duxisset, eodem anno a belli tumultibus remotus, non cogebatur exire militatum: leges autem Romanae ita honorarunt coniuges, ut eos, qui masculos genuissent, ac ita rempublicam auxissent, eis tanquam benemeritis praemium e publico statuerunt. Apud Hebraeos steriles coniuges etiam a communibus aris arcebantur. His tamen sic praelibatis, ad ea documenta, quae in matrimonio servari debent, tradenda properemus. Primum, et principale eorum, verba hodierni sacri Evangelii clare indicant, dum sacer Evangelista ait, accersitum fuisse Christum Dominum ad nuptias, et eisdem interfuisse (*Ioan.* 2): *Vocatus est autem et Iesus ad nuptias.* Sane, cum Deus nubere voluit Adam cum Eva, prius ut sup. dicebam illum in coelestium ecstasim rapuit, id enim sibi volunt verba illa (*Gen.* 2): *Misit Dominus soporem in Adam*, ut ibidem communi consensu Patres explicant; quo non obscure significavit, mente in Deum fixa, et in eius voluntatem, uxorem esse accipiendam, et instar dormientis, oculos et sensus claudentis, ad eâ, quae libido, et cupiditas impellunt, propter debitum finem, ad matrimonium accedendum esse: etenim, qui explendae libidinis appetitu illud contrahunt, maledictum id incurrunt, quod angelus Raphel Tobiae dixit (*cap.* 6): *Qui coniugium ita suscipiunt, ut Deum a se, et sua mente excludant, et suae libidini ita vacent, sicut equus, et mulus, quibus non est intellectus: habet potestatem daemonium super eos.* Unde ibidem ipse Tobias narravit, Saram datam fuisse in coniugem septem viris, qui a daemone occisi fuerant, non propter aliam sane rationem, nisi quia, non in timore Domini, et amore filiorum, sed magis libidine ducti ad eam accesserunt. D. Aug. (*l.* 2. *de pec. orig. c.* 33) ad hoc documentum respiciens, dixit: *Non est nuptiarum bonum, morbus concupiscentiae, in quo uxores diligunt, qui ignorant Deum, quod Apostolus prohibet, sed potius pudicitia coniugalis, quae in bonos usus ordinata, ad filios procreandos redigitur libido carnalis.* Verba autem Apostoli haec sunt: *Ut sciat unusquisque vestrum, vas suum possidere in sanctificatione, et honore, non in passione desiderii, sicut et gentes, quae ignorant Deum.* Atque hinc idem d. Augustinus (*ser.* 244. *de temp.*) exhortatur viros, et uxores, diebus dominicis, et praecipuis festis ab usu matrimonii se abstinere, additque rem mirabilem

nimirum ex defectu huius abstinentiae in sacris his diebus, filios quandoque prodire lepra, aut aepylepsi infectos, aut forsan a daemone obsessos, didicitque consilium hoc d. Augustinus a d. Paulo (1. *Corinth.* 7), ubi monet coniugatos, ut ad invicem consentiant in abstinendo se, quo facilius in Deum mentem elevent: *Ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi.* Quod si ad vacandum orationi volebat Apostolus coniugatos ab omni venere se abstinere, quid quaeso diceret, ad recipiendum sacratissimum Christi corpus? maxime quod nemo ignorat, in veteri lege (*Exod.* 19) Dominum dixisse, cum esset in montem descensurus: *Estote parati in diem tertium, et ne appropinquetis uxoribus vestris:* et (1. *Reg.* 21), et refertur (*c. sciant fratres* 33. *q.* 4), quod cum milites regis David valde famelici vellent panes propositionis comedere, sacerdos Abimelech facultatem dedit, ea apposita conditione (*Exod.* 20): *Si mundi sunt pueri praesertim a mulieribus;* ac tandem in figura huius praeviae abstinentiae ab omni libidine ad recipiendam sanctam Synaxim Dominus praecepit, ut cum Pascha comederent agnum, qui, typus erat immaculati Agni, qui in Eucharistia secundum propriam substantiam vere adest, renes suos accingerent: *Renes vestros accingetis.* Memini Macrobium (*lib.* 1. *Satur. c.* 23) narrare, Syrios solitos fuisse, ut cum imaginem solis per publicas vias humeris suis gestarent, prius capitibus rasis per longum tempus castitatem colerent. Non dissimiliter, cum nos sumentes Christum Dominum in Eucharistia, non imaginem solis, ut illi, sed ipsum verum Solem institiae suscipiamus, ut d. Paulus (1. *Corinth.* 15) dicat: *Sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem coelestis;* opus est, ne a Paganis vincamur, ut prius munditiam non solum mentis, sed et corporis colamus, iuxta illud (1. *Corint.* 6): *Glorificate, et portate Deum in corpore vestro.* Atque huic simile est illud, quod Ovidius (*lib.* 10. *Metam.*) scribit, praeviam munditiam, et castitatem adhibitam fuisse olim in festis, quibus Cereri, quam Gentiles vocabant frumenti inventricem, divinum cultum deferebant, ad quod alludunt carmina illa:

Perque novem noctes Venerem, tactusque virorum
In vetitis numerant:

ad eundem etiam modum eadem castitas in festis Bacchi vini auctoris, ut delirabant poetae, teste eodem Ovid. (*lib.* 1 *fastorum*), exigebatur:

Sic epulis functi, sic dant sua corpora somno.
Et positis iuxta se cubuere thoris.
Causa repertori vitis, quia sacra parabant
Quae facerent pure, cum foret orta dies.

Sane beatam Virginem, divinam Cererem, appellarim, non solum, quia navis fuit Institoris, ut dixit Sapiens, de longe portans panem suum, sed quia ipsum coelestem panem utero suo ipsa confecit; immo et foecunda terra fuit, ex qua prodiit frumentum electorum, et vinum germinans virgines, ut dixit Zacharias. Ad vescendum ergo hoc coelesti pane, si tam matrem, quam prolem colere desideramus, oportet prius, etiam uxoratos, per castitatem disponi, ab usu matrimonii, ob reverentiam tanti sacramenti, lascivientem appetitum conpescentes. Deinde, si Syllius Italicus (*lib.* 7) introducit foeminas nuptas a Iunone auxilium implorantes, prius, ad eas preces fundendas, castitate se praemunisse:

Huc ades, o regina Deum, gens casta precamur:

quando quaeso maiori munditia, et castitate opus erit ad preces fundendas non falsae Deae Cereri, sed vero Deo; et ad immaculatum eius Agnum suscipiendum? Atque huc etiam convenienter aptari arbitror illud (*Eccl.* 3): *Tempus amplexandi, et tempus longe fieri ab amplexibus:* etenim licet tempus ante adventum Christi Domini esset aptum ad vacandum filiorum procreationi propter propagationem generis humani, nunc autem post adventum Christi, quamvis liceat in matrimonio generationi vacare, etiam ad tempus licet se abstinere, idque sibi volunt praecitata verba, *tempus longe fieri ab amplexibus.* Ac tandem ut uno verbo multa complectar, antiquum illud proverbium, quod Cicero (*lib.* 2. *de legib.*) tradit, *ad divos adeunto caste*, satis utique monet, matrimonio coniunctos Deum in sacramento Eucharistiae non aliter sibi adeundum, quam omnis immunditiae expertes.

Secundum documentum apprime necessarium illud esse reor, ut vir et uxor mutuo amore non carnali, sed in Christo se diligant; ad quod melius intelligendum explicare oportet quid sibi velint verba d. Pauli (1. *Cor.* 7): *Qui uxores habent, tanquam non habentes sint.* Exhortatur quidem illos, ut quoad fieri possit, ex consensu utriusque se abstinentes, non minus divinis obsequiis vacent, quam si uxorati non essent: etenim ibidem ait: *Qui cum uxore est, cogitat quae sunt mundi, quomodo placeat uxori;* e contra vero de coelibem vitam agente ait: *Qui sine uxore est, solicitus est quae Domini sunt, quomodo placeat Deo.* Cum ergo ait d. Paulus, ut qui uxores habent, tanquam non habentes sint, exhortatur eos, ut perinde cogitent, quae Domini sunt, et illi placere curent, ac si uxores non accepissent: quae verba explicans d. Augustinus (*lib.* 1. *de nupt. conc. cap.* 13) ait: *Hoc facilius fit, quando uxores tales sunt, ut eis mariti non ideo placeant, quia divites, quia sublimes, quia genere nobiles, quia carne amabiles, sed quia fideles, quia religiosi, quia pudici, quia viri boni sunt;* haec ille. Quorum ea manifesta ratio in promptu est: quia si vir in uxore, et e contra uxor in viro ea solum diligit, quae mundus in pretio habet, consequens fit, ut ad placendum ei diligat quae sunt mundi: si vero e contra uterque in altero ea diligit, quae chara, et grata sunt Deo, consequens etiam fit, ut mutuo sibi placeant, cum solicitam curam gerant eorum, quae Dei sunt. Nihil sane gratius Deo in matrimonio praestari potest, quam mutuus hic utriusque coniugis in bonum consensus; ob cu-

ius defectum existimo punitam fuisse Michol regis Davidis uxorem : ut enim legimus (*lib.* 2. *Reg. c.* 7) ludente Davide coram arca, cum eius uxor debuisset pietatem viri sui commendare, procul dubio illa probro vertit, dixitque ei, quasi irridens: *Quam gloriosus fuit hodie rex Israel, discooperiens se ante ancillas servorum suorum, et nudatus est, quasi nudetur unus de scurris;* sanctus autem rex verba uxoris despiciens contumeliosis verbis eam corripuit dicens: *Vivit Dominus, quia ludam ante Dominum, qui elegit me, potius quam patrem tuum, et quam omnem domum eius*, etc. Sed quid inde subsecutum est? observa,quod subiungit Scriptura: *Igitur Michol filiae Saul non est natus filius usque in diem mortis suae.* Vide supplicium foeminae, quod dissenserit a viro suo eo quod coluisset Deum : non dubito, quin prolem ei concessisset, si id non fecisset, regni futurum haeredem. Igitur, quemadmodum umbra sequitur semper corpus, et si unum oculum aliquo convertas, statim et alter oculus ibidem etiam tendit; ad eundem modum, quando alter coniugum perficit aliquod divinum praeceptum, debet et alter, non solum gaudere, et alacritate perfundi, sed etiam una cum illo in idem pietatis, et actionis studium incumbere; atque hoc est proprie, ut supra dicebam, mutuo se amore in Christo redamare, et habentes uxores, tanquam non habentes se gerere: cum illarum consortium nihil eis impedimento sit, quominus, quae Dei sunt, solicite curent. Atque hinc venit eorum amentia detestanda, qui pulchritudinem in uxore praecipue quaeritant, ut suam libidinem satient, quos Iuvenalis (*Satyra* 6) non uxores, sed facies earum amare his versibus convincit:

Cur desiderio Bibulae Sertorius ardet?
Si verum excutias, facies, non uxor amatur;
Tres rugae subeant, et se cutis arida laxet
Fiant obscuri dentes, oculique minores, *etc.*

Eam namque compellunt, ut immemor Dei solicita sit, quomodo placeat viro; quo scilicet fuco, quo ornatu ardentius ad suum amorem eum alliciat: in quo sane maxime huius tempestatis foeminae excedunt. Sed audiant d. Cyprianum (*lib.de hab.Virg.*) uxoribus in hunc modum loquentem:*Foeminas omnes, etiam nuptas, puto admonendas, quod opus Dei, et facturam eius, et plasma adulterare, adhibito flavo colore, vel nigro pulvere, vel rubore, nullo modo debeant;* quibus non dissimilia sunt illa alia d. Amb.(*l.6.examer.c.*8) ubi ait: *Si vultum tuum materiali candore oblinias, si acquisito rubore perfundas, illa pictura vitii, non decoris est, pictura temporalis est, quae aut pluvia, aut sudore tergitur; illa pictura fallit, ut neque illi placeas, cui placere desideras, qui intelligit, non tuum, sed alienum esse, quo placeas, et tuo displiceas auctori, qui videat opus suum esse deletum.* Ne autem quispiam sanctos Patres nimios in hoc sibi videri dicat, audiat quaeso, quae gentiles homines edixere; Ovidius namque (*l.* 1. *de remed.amoris*) haec carmina cecinit:

Tu quoque, compositis sua cum linit ora venenis,
Ad Dominae vultum, nec pudor obstet eas.
Pyxidas invenies, et rerum mille colores,
Et fluere in tepidos aesopa lapsa sinus.
Illa tuas redolent Phynen medicamina mensas.
Non semel hinc stomacho nausea facta meo.

Iuvenalis autem (*Satira sexta*) sapienter haec alia canit :

Sed, quae mutatis inducitur, atque fovetur,
Tot medicaminibus coctaeque siliginis offas,
Accipit, et madida: facies dicætur, an ulcus?

Accedant his, quae Propertius scripsit (*l.*2.*ad Cynthiam eleg.*19):

Nunc etiam infectos demens imitare Britannos,
Ludis, et externo tincta colore caput.
Ut natura dedit, sic omnis recta figura
Turpis Romano, Belgicus ore color.

Tertium documentum sit, ut viri defectus suarum uxorum patienter sustineant, et earum fragilitatem virili sua fortitudine suppleant. Hoc documentum deduco ex verbis d. Pauli dicentis (*ad Eph.*5): *Viri, diligite uxores vestras, sicut Christus Ecclesiam dilexit.* Videamus quaeso, quomodo Christus se habuit erga sponsam suam, Ecclesiam militantem. Notat d.Chrysost. (*ho.*20.*ad Eph.*), quod quamquam Ecclesia multis defectibus erat deturpata, nihilominus tamen Christus Dominus non est dedignatus, illam spirituali coniugio sibi copulare : erat Ecclesia infirma : *Cum adhuc infirmi essemus Christus pro nobis mortuus est* (*ad Rom.*5). Erat libidini dedita: *Nos aliquando conversati sumus in desideriis carnis nostrae.* Erat aliquando insipiens, incredula, et errans: *Eramus et nos aliquando insipientes, increduli, errantes* (*ad Titum* 3). Erat aliquando turpis, et nigra (*ad Eph.*5):*Eratis aliquando tenebrae.* Erat aliquando malitiae, et invidiae livore affecta (*ad Tit.*3): *Eramus in malitia, et invidia agentes, odibiles, odientes invicem;* et nihilo secius tamen Christus Dominus, ut ibidem ait Apostolus, virtute sanguinis sui, per lavacrum regenerationis, ab omnibus his iniquitatibus eam abluit. Ad imitationem ergo Salvatoris nostri debet vir, quantum a se praestari possit, omnes uxoris defectus patienter supplere: satagat illam fortem sua patientia reddere, et, ut alter Adam suae fortitudinis participem illam reddat, adeo ut, sicut (*Gen.* 2) dicitur : *Haec vocabitur, virago, quia de viro sumpta est*, hoc est ex costa osse fortissimo, ita uxor ex fortitudine viri fortitudinem mutuet. Atque huc etiam spectat, ut sicut Christus non gravius sponsam suam affligit, quam divina gratia sustinere illa possit, Paulo dicente (1. *ad Cor.* 10): *Fidelis est Deus, qui non patietur, vos tentari supra id quod potestis*, ita prudens maritus non debet onera gravia et importabilia uxori suae imponere; ac tandem vir uxorem suam reddat castam, et pudicam, variis beneficiis eam cumulans, ad imitationem Christi Domini, qui per Ezechielem (*c.*16) sponsae suae ait: *Ornavi te*

auro, et argento, et vestivi te abysso, et polymito, similam, et mel, et oleum comedisti: beneficia enim viri custodes sunt castitatis foeminae.

Quartum documentum uxoribus damus, ut quae viderint in viris suis sibi displicere', in silentio, et spe sustineant: hac enim ratione difficultatem facile vincent. Saepe viri effraeni libidine ducti, aliis foeminis adhaerent; tunc autem quid faciendum est uxori? illud certe, quod Isaias (*c.*7) exhortatur: *Vide, et sileas, et cor tuum ne formidet a duabus caudis titionum fumigantium.* D. Hieron. (*in comm. huius loc.*) docet, quod cum vir ad foeminam non suam divertit, tunc illi sunt velut quidam inferni titiones libidine ardentes, et infamiam, ac pravum exemplum fumigantes; tunc autem prudens uxor sileat, quia amicitia illa tandem dissolvetur : hoc enim significari asserit d. Hieronymus per metaphoram *caudarum*, quae extremitates sunt animalium. Solent etiam viri insolescere, et ardenti bilis passione inflammari; tunc autem uxor, si sapit, non clamoribus, sed silentio, et spe furorem eius mitigabit, eodem Isaia (*c.*30) dicente: *In silentio, et spe erit fortitudo vestra.* Sunt tandem alii viri, ludi amatores, substantiae dissipatores, familiae commoda despicientes; quibus omnibus non aliter uxores occurrere debent, si pacem diligunt, quam silentii remedio: *Erit opus iustitiae pax, et cultus iustitiae, silentium.* Ac denique, ut uno verbo multa complectar, oportet, uxorem mansuetudine praeditam esse: ad id enim significandum Nathan propheta in parabola, quam proposuit David (2. *Reg.*12), uxorem Uriae nuncupavit *ovem*, dicens, *nihil habebat omnino, praeter unam ovem parvulam.* Quo aperte docuit, uxorem, instar ovis, debere esse mitem, silentii studiosam, et marito, veluti pastori obedientem: et quidem, ut sapienter adnotavit d. Chrysostomus (*hom.*26.*in epist.*1.*ad Cor.*) *uxor portus est mariti; portum autem oportet esse tranquillissimum, ne ille in portu faciat naufragium.*

Ultimum tandem documentum viris, et uxoribus commune est, ut in eorum matrimonio tria illa bona, quorum meminere d.Isidor. (*l. de offic.c.*19),necnon d.Augustinus (*l.*5.*cont.Iul. c.*12) minime desiderentur, nimirum, *fides*, *proles*, *sacramentum*. In primis uterque coniux servare debet fidem, hoc est, fidelitatem, ne, ut ait d. Aug. (*l.*15. *de civ. Dei c.* 23), praeter vinculum coniugale, cum altera, vel altero copuletur, adulterium committens. Cuius sane vitii turpitudinem definitio eius satis indicat : nam d. Aug. (*lib.de bono coni.c.*4) in hunc modum illam describit: *Adulterium est alieni pudoris expugnatio.* Magister vero Sententiarum (*l.*5.*dist.*41) inquit:*Adulterium est alienae uxoris violatio : unde adulterium dicitur quasi alterius thori accessio*, quod idem docuit doct. Thom. (2.2. *dist.*154. *art.*8). Sextus Pompeius (*lib.*1. *de verb. signif.*) dixit:*Adulter et adultera dicuntur, quia et ille ad alteram, et haec ad alterum se conferunt.* D. Hieron. (*in epist. ad Gaudent.*) ut ab hoc vitio maritos deterreret, dixit: *Habens uxorem, utatur vase suo in sanctificatione, et pudicitia, bibatque de fontibus suis ; non quaerat cisternas luparum dissipatas, quae purissimas aquas pudicitiae continere non possunt.* Quam metaphoram plane mihi videtur desumpsisse d. Hieronymus a Salomone (*Proverb.*5), ubi haec verba lego: *Bibe aquam de cisterna tua, et fluenta putei tui. Deriventur fontes tui foras, et in plateis aquas tuas divide. Habeto eas solus, nec sint alieni participes tui. Sit vena tua benedicta, et laetare cum muliere adolescentiae tuae.Cerva charissima, et gratissimus hynnulus, ubera eius inebrient te in omni tempore, in amore eius delectare iugiter.* Cisternam, et puteum, uxorem appellat, et duo matrimonii officia commemorat: scimus enim, matrimonium institutum in remedium concupiscentiae, et ideo ait : *Bibe aquam de cisterna tua, et fluenta putei tui*, idest, sitim concupiscentiae extingue aquis tuae cisternae, *putei tui*, inquit, non alieni, tua uxore utere, ad alienam ne accede. Institutum praeterea est matrimonium in officium naturae ad gignendos liberos: unde ait: *Deriventur fontes tui foras, et aquas tuas in plateis divide.* Fontes et aquas liberos appellat: quemadmodum enim e fontibus effluunt aquae in plateas, ita ex uxore liberi emanant, qui reipublicae inserviunt, non solum sibi nati, sed et patriae. Quoniam vero non semel contingit, liberos spurios nasci, insuper admonet, ne filios suscipiat ex meretricibus, et concubinis, quorum incertus est pater. *Habeto*, ulterius inquit, *aquas tuas*, idest filios tuos, *solus tu, ne sint alieni, participes tui*, idest, habete filios, quorum ipse sis pater. Deinde ait : *Sit vena tua benedicta*, hoc est, fons tuus, uxor tua, ex qua, velut e vena, et fonte, purissimae aquae, idest, legitimi filii emanent; sit, inquam, benedicta filiorum procreatione, iuxta illud (*Iob.*6): *In semine Abrahae benedictionem in filiis consequaris* : subiungit: *Laetare, non cum concubinis, et meretricibus, sed cum muliere adolescentiae tuae*, idest, cum uxore quam adolescens cepisti. *Sit tibi uxor, cerva charissima, hynnulus gratissimus*, hoc est, sit tibi in deliciis, et multum amabilis, et quasi charissimam cervam, hynnulumque tibi iucundissimum blande illam tracta, non aspere. Ad haec: *Ubera eius inebrient te*, vel, ut originale hebraeum habet, *amores eius inebrient te*, idest satient te, ne aliam quaeras. Denique, *in amore eius*, ait, *delectare iugiter*, hoc est: fidelis esto ei, ne alteri copuleris, sciens Apostolum (1. *Cor.* 7) dixisse: *Mulier potestatem sui corporis non habet, sed vir.* Certe adulterium, et infidelitatem, non solum sacra eloquia, sed ethnici homines solo lumine rationis ducti, vehementer damnarunt, et punierunt, ut satis indicant acerbissima supplicia, quibus hoc sceleris genus mulctabant: etenim in veteri lege, ut testatur d. Ioannes (*cap.* 8) adultera lapidibus percutiebatur : *Lex autem praecepit nobis huiusmodi lapidare.* Arbitror autem speciali ratione adulteram lapidationis supplicio puniri solitam, ut non unum solum carnificem, sed multos haberet, simul illam lapidantes; tum ad significandum, supplicium adulterae nulla ratione differendum, sed quam citius infligendum : alia enim ferrea instrumenta non ita

facile, sicut lapides ad manus habentur: tum tandem, quia si adultera suspenderetur, aut decollaretur, oporteret, saepe illam tangere; tanta autem est eius immunditia, ut omnes ab ea contingenda, etiam ad puniendum, se abstinerent; et ideo saxis a longe iactis illam impetebant. Legimus etiam (*Num.5*), quod divinitus ordinata erat potio quaedam, ad quam bibendam compellebatur uxor suspecta de adulterio, quae quidem, si adulterium commisisset, continuo femur eius, peccati illius certissimus testis, putrefiebat, et tumens uterus eius disrumpebatur: *Ingrediantur*, ait, *aquae maledictae in ventrem tuum, et utero tumescente putrescat femur*. Observatione autem dignum est, ut id obiter dicam, quod in sacrificio zelotypiae, ut praecitato loco habetur, praecipiebat Deus ut offerretur ordeum, oleum vere minime adiungeretur: per primum enim significari puto, adulteram indignam esse cibo humano uti, sed, ut brutum animal, tractandam: ordeum namque cibus est animalium. Oleum autem prohibebatur adiungi in eo sacrificio, ad significandum misericordiae oleo adulteram omnino destituendam? sed poenam illam in lege statutam prorsus subituram absque ulla dispensatione. Ab Abraham deinde descendentes combustionis poena adulteram plectebant, ut facere tentavit Iudas contra Thamarem nurum suam, ut habetur (*Genes.* 38) Quod si prophana monumenta evolvamus, pene innumera reperiemus suppliciorum genera, quibus olim Gentiles adulterii flagitium puniebant. Augustus Caesar, ut habetur (*l.* 1. *ff. ad legem Iuliam de adulter.*), et refert Svetonius Tranquillus (*in Augusto cap.* 34) capitis poena iussit adulteros affici. Cornelius Tacitus (*libro sec. hist. August.*) testatur, inter Romanos adulteras ab Urbe Romana relegari solitas in regiones per sexcenta milliaria, hoc est, ducentas leucas distantes; adulteros vero per plures. Dionysius Alicarnasseus (*lib.* 2) refert, Romulum primum Romae fundatorem acrius adulterium punivisse: praecepit enim, ut adulteram tam vir, quam consanguinei quocumque necis genere ad libitum eorum plectere possent. Lucianus (*in apolog. pro Diis*) refert Saletum principem Protoniensium, legem statuisse, ut adulteri vivi comburerentur; et quod mirabilius est, cum ipse in hoc criminis genus incidisset, ipse, sibi nulla ratione parcens, in ardentem rogum se coniecit, ut idem Lucianus commemorat. Cornelius Tacitus (*lib.*2. *hist. August.*) testatur, inter Germanos moris fuisse, ut vir uxorem adulteram e propria domo foras mitteret, et a tergo eam insequens, flagellis per publicas vias caederet. Plutarch. (*in problem. c.* 115) narrat, inter Cumaeos solitum fuisse, ut foemina adultera cuidam saxo, quod sedes erat infamis, insideret; deinde per totam civitatem duceretur summo rubore suffusa: posteaque revertebatur ad idem saxum, quibus caeremoniis in perpetuum manebat fama eius denigrata, et tanquam turpis mulier semper habita. Aelianus (*lib.* 12. *var. hist.*) tradit, Corthinenses adulterorum capita lanea corona redimisse, quod tunc erat singulare infamiae genus, et ut auctor est Iuvenalis (*Satyr.* 10) Placiadae, Graeciae populi adulteros palis per medium corpus transfigebant:

Secat ille cruentis
Verberibus quosdam moechos; et mugilis intrat.

Diodorus Siculus (*lib.* 19. *biblioth. cap.* 4.) scribit, quod adulteri ab Aegyptiis mille flagris vapulabant, adulterae vero nasus gladio amputabatur. Locrenses, ut testatum reliquit Aelianus (*lib.* 13), adulteris oculos eruebant, camque legem Zaleucus statuerat, quam postea cum filius eius violaret, ne impune tantum maneret crimen, oculus unus erutus fuit filio, alius sibi. Demosthenes contra Neaeram affirmat, inter Athenienses cautum esse, ne adultera interficeretur, ut magis diuturna esset eius infamia, prohibebatur tamen templum ingredi; quod si ingredi auderet, omnibus impune licebat indiscriminatim, quocunque supplicii genere, nece tamen excepta, illam afficere, maritus vero poterat adulteram interficere, ut ait Plutarchus (*in Solone*).Iustinus (*lib.* 4.) asserit, Parthos in nullum criminis genus acrius invehi solitos, quam in adulterium, non tamen assignat singularem punitionis modum, quo utebantur. Ex Plutarcho vero in Lycurgo (*to.* 1) haec accipe. Memoratur sermo Geradae cuiuspiam unius ex antiquissimis Spartanorum, qui interrogatus a quodam hospite, quid poenarum darent apud Spartanos adulteri? respondit, nullum apud ipsos fieri adulterium; tum illo subiiciente, quid autem si fieret? Taurum, inquit Geradas, persolvet eius magnitudinis, ut capite supra Taygetum montem inclinato, Eurotam bibat. Rursus mirante hospite, percunctanteque quonam modo tantus bos nasci posset, Geradas ridens conclusit; eodem quo Spartae adulter existere potuit. Nam, quo pacto Spartae adulter, in qua divitiae, delitiae, et corporis adscititius cultus probro habentur, contra verecundia, modestia, ac obedientiae magistratibus debitae observatio decori laudique dantur? nunc proh dolor et pudor, *adulteris plena est terra*, ut ait (*Hierem.*23), et ut conqueritur ipse, *unusquisque ad uxorem proximi sui hinniebat: equi insanientes in foeminas*,adeoque hoc malum frequens erat, ut Oseas (*c.* 4.) diceret: *Maledictum,et adulterium inundaverunt*. Ac tandem idem Lycurgus, insignis legum lator, ut Plutarchus commemorat inter eas, quas Lacedaemoniis tradidit, cum aliis criminibus poenas apposuisset,adulterii poenam praeteriit. Cum autem quidam Lacedaemon interrogatus, quare Lycurgus non statuisset specialem poenam pro adulteris? Respondit, quia praesumebat, tantum scelus in ea bene morigerata republica nunquam fore patrandum. Advertere tamen oportet, quod, ut docet d. August. (*lib.* 2. *de adulterio c.*7.), mariti privantur iure poenam exigendi ab uxoribus adulterium committentibus, si ipsi etiam adulteri sint, quia infidelitas uxoris viri infidelitate compensatur. Ad idque adducit verba illa, quae Christus Dominus adulterae accusatoribus dixit (*Ioan.* 8): *Qui ex vobis sine peccato est, primus in illam lapidem mittat*. Maritus ergo si adulter

est, cur lapidem mittere velit in adulteram, maxime, cum fragilioris naturae sit foemina, quam vir, difficiliusque possit ratione suae fragilitatis libidini resistere? atque ad hoc mirifice faciunt verba Arist. (*lib.* 1. *oecon. cap.* 4) dicentis: *Primum leges sunt inter virum, et uxorem, ut iniuria cesset, et sic nec ipse iniuriam patietur;* quasi dicat: Caveat vir, ne iniuriam infidelitatis inferat uxori, alioquin vicissim simile iniuriae genus uxor ei irrogare cupiet sui vestigia sequens. Unde Ulpianus Iurisconsult. (*in l. si uxor,* §. *Iudex, ff. de adult.*) docet, quod quando uxor de adulterii crimine convincitur, inquirendum, et explorandum est, an vir eius adulter sit: periniquum enim esse videtur, ut pudicitiam vir ab uxore exigat, quam ipse non exhibeat; quam legem Antonini esse tradit d. Augustinus (*praec.loc.*), ex quo desumptus est textus (*in cap. si dicturi* 32. *q.* 6), ubi aurea haec verba legimus: *Quales volumus uxores invenire, et ipsae nos inveniant; et si intactas volumus, intacti simus:* atque in hoc videntur fundari verba (*Iob* 31): *Si deceptum est cor meum super muliere, scortum alterius sit uxor mea:* videbatur enim illi, iustum esse supplicium, Deo id permittente, ut si ipse libidine deceptus, ad alienam foeminam accederet, uxor etiam propria alienum virum agnosceret. Unde Deus per prophetam Oseam (*cap.*4) dixit, se non puniturum adulteria uxorum propter adulteria virorum: *Non visitabo super sponsas vestras, cum fuerint fornicatae, quoniam ipsi cum meretricibus conversabantur*. Caveant ergo viri solicite adulterium, si caveri illi volunt ab uxoribus: ut enim ingeniose cecinit Ovidius (*lib.*1. *de arte aman.*):

Tunc quoque tentanda est, cum pellice laesa dolebit.
Tunc facies, opera ne sit inulta tua.

Secundum bonum matrimonii proles est: *In prole*, inquit d.Augustinus (*loco citato*),*attenditur, ut amanter suscipiatur,benigne nutriatur, ac religiose educetur:* hic finis est nuptiarum,liberos gignere, qui Deum colant, ament, venerentur. (*Gen.*1) ait Deus:*Crescite, et multiplicamini, et replete terram*.Danda tamen opera est iis, qui matrimonio sunt coniuncti, ut non solum filios generent,sed spiritualiter regenerent: ut enim sapienter dixit d. Augustinus (*in Ps.* 127):*Avibus etiam dictum est: Crescite, et multiplicamini.Pro magno vis habere, quod avibus donatum est? magis cogita, quomodo nutrias, qui nati sunt, quam, ut nascantur: non enim iam felicitas est, habere filios, sed bonos habere;* haec Augustinus. Quibus persimilia sunt, quae in haec verba tradit Clemens Alexandrinus (*l.*2.*paedag.c.*10): *Iis, qui matrimonio iuncti sunt, scopus est liberorum susceptio: finis autem, ut boni sint liberi, ut non solum terram, sed coelum quoque repleant;* hoc est, ut ea educatione, ex qua Ecclesia ornamentum, et coeleste regnum accipiat incrementum, illos alant: est enim matrimonium, tum Ecclesiae, quae in terris versatur, tum illius, quae in coelo est, quoddam veluti seminarium; multum autem interest, hoc seminarium bonum esse: quale enim est seminarium, tales horti plantae sunt. Magni refert, quali lacte infans nutriatur: si sanum lac suxerit, sanus erit; si morbo infectum, morbo etiam ipse inficietur. Est quoddam animi lac, quod divus Petrus (*epist.*1. *c.* 2) rationabile vocat: *Sicut modo geniti infantes*, inquit, *rationabile, sine dolo lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem*. Rationabile lac animi doctrina est, quae si sana, morum sanitatem pueris parit; si vitiosa, vitiorum pestem fert. Lacte crescit infans, ideoque ait divus Petrus: *Ut in eo crescatis in salutem*. Si virtutis documenta puero tradas, virtute crescet in salutem; si vitia doceas, iniquitate crescet in damnationem. Unde divus Gregorius (*l.*6.*epist.*187) dixit: *Verba nutrientium, aut lac erunt, si bona sunt,aut venenum, si mala:talia ergo nunc eis suggerant,quae postmodum ostendant,quam bona fuerunt,quae a nutritiorum suorum ore suxerunt:* et d. Chrysost. (*tom.*1.*in hom. de Anna, et Sam.educ.*) ait, Samuelem ab uberibus maternis ad ubera venisse spiritualia. Sic oportet filios ab uberibus carnis protinus ad ubera spiritus transferre, ut rationali lacte ab incunabulis pascantur: verba divi Chrysostomi haec sunt: *Samuel ab ipsis incunabilis ad virtutem transiliit: prima statim pueritia ab uberibus matris venit ad ubera spiritualia*. Duas quidem habet filius partes, animum scilicet, et corpus: partis utriusque parentes curam diligenter gerere debent; animi tamen tanto maiorem, quanto maior, et pretiosior est animus corpore. At, proh dolor, in corpus curam conferunt, quod genuerunt, animum vero a Deo procreatum negligunt. Hinc illa divi Gregorii Nazianzeni praeclara carmina:

Non homo totum hominem,veluti de more loquuntur,
Progignit: verum crassae tantummodo carnis
Est pater, et calidi dat semina prima cruoris.
Quorum utrumque gravi corruptum morte peribit.
Est anima in corpus divino condita flatu,
Immeat externe: novit rex ille supernus,
Quo primum pacto flavit, terraeque iugavit
Augustam effigiem; porro, ne dicere falsum
Censear, ipsa tuo locuples mihi testis amore
Esse potes; nec enim perfectus, et integer ille est:
Non etenim natorum animas, sed corpora sola
Diligis, et magno, cum sunt male sana, dolore
Afficeris, rursus gaudes florentibus illis.
Nam multo gravius mentes utriusque parentis
Exercuiat, vel parva lues, quae membra suorum
Inficiat; quam magna animi labesque, luesque:
Cur? quia non animas illi, sed corpora gignunt, *etc.*

Hinc etiam d. Chrysostomus, qua solitus est eloquentia (*hom.* 6.*in Matt.*) acriter reprehendit parentum segnitiem in recte educandis filiis: lib. etiam tertio adversus vituperatores vitae monasticae haec scribit: *Nulla alia ex ratione perversi ut sint liberi contingit, nisi quod eorum patres circa vitae praesentis commoda aequo amplius incumbant, et fere dixerim insaniunt: cum enim illa solummodo inquirunt, nihilque illis praeferendum censent, et suam pariter, et liberorum animam negligere coguntur. Hos ergo patres parricidis ipsis immaniores dixerim, illi enim corpus ab anima separant, isti, et animam, et corpus aeternis*

ignibus tradunt. Huc illud pertinet Cratis, qui, ut tradit Plutarchus (*in libro de lib. educ.*), si licuisset, in altissimam urbis partem conscendisset, et se inde vociferaturum fuisse aiebat: *Quorsum ruitis homines, qui omne in comparandis pecuniis vestrum studium facitis, filiorum vero, quibus eas relinquitis, nullam sane curam suscipitis?* addendum censet Plutarchus, quod *hi patres non aliter faciunt, quam qui magnam calceorum sedulitatem habent, cum interim pedem ipsum parvipendant: praepostera haec cura est, etenim prius pedis, postea calceorum ratio habenda; prius de liberorum virtute, postea de corpore habenda cura. Felicitas est, filios habere bonos; infelicitas magna, habere pravos.*

Tertium tandem bonum matrimonii est sacramentum, quo contractus naturalis utriusque coniugis ad supernaturalium rerum ordinem elevatur ex Christi Domini institutione, in quo maxime discriminatur christianorum matrimonium a matrimonio infidelium: hoc enim solum importat mutuum utriusque consensum, istud vero secum affert mysterium significationis, tum unionis hypostaticae humanae carnis cum persona Verbi divini, tum spiritualis connubii Christi cum Ecclesia, Apostolo dicente (*ad Ephes.* 5): *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, et in Ecclesia*. Magnum certe vocat illud propter excellentiam rei significatae. Quod autem ibidem ait Paulus de uxore loquens: *Propter hanc relinquet homo patrem, et matrem suam, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una*, manifestum est, Christum Dominum praestitisse: etenim Patrem relinquit, non quod a Patre recesserit, sed quoniam in ea forma non apparuit, qua Patri est aequalis. Reliquit Patrem, interpretatur d. Augustinus, quia *exinanivit semetipsum, formam servi accipiens*; reliquit vero matrem, idest, Synagogam, ex qua ortus est, eodem Augustino interprete, adhaesit autem Ecclesiae per amorem, et charitatem: et sunt duo in carne una, quia Christus humanam carnem habet, carne etiam constat Ecclesia, cuius ipse caput est. Atque hinc est, quod quemadmodum Verbum a carne Christi, nec ipse Christus ab Ecclesia unquam separatur, sic, nec viro ab uxore separari licet, matrimonio consummato, iuxta illud Pauli (*ad Rom.*7): *Quae sub viro est mulier, vivente viro alligata est; si autem mortuus fuerit vir eius, soluta est a lege viri*. Dixi, consummato matrimonio: quia ante eius consummationem licitum est viro, et similiter uxori statum religionis approbatae assumere, et tunc per professionem, quae sublimius, et excellentius matrimonii genus est, praecedens matrimonium dissolvitur, ut sacrum concilium Tridentinum definivit, et sacrorum canonum statuta docent. Hinc etiam efficitur, ut, sicut Verbum, et caro, Christus, et Ecclesia ardentissimi amoris vinculo sunt coniuncti, ita uxor, et vir mutuo amore sibi invicem consentientes esse debeant. Unde Hugo Victorinus (*l.* 1. *de Sacr.par.*6.*cap.* 35) sapienter dixit: *Facta est autem de latere viri, ut ostenderetur, quia in consortium creabatur dilectionis, ne forte, si fuisset de capite facta, praeferenda videretur viro ad dominationem, aut si de pedibus, subiicienda ad servitutem. Quia igitur viro nec domina, nec ancilla parabatur, sed socia, nec de capite, nec de pedibus, sed de latere fuerat producenda, ut iuxta se ponendam cognosceret, quam de iuxta se sumptam didicisset;* hactenus ille. Antiqui, ad significandum mutuum amorem, et benevolentiam inter virum, et uxorem necessariam, proferebant in nuptiis duas faces ardentes; a quo non abhorret, quod Salomon ait (*Cant.* 8), dum ad significandum amorem sponsi, et sponsae ait: *Lampades ignis, atque flammarum; aquae multae non potuerunt extinguere charitatem*. Quia tamen mutuus utriusque coniugis amor honesti amoris terminos quandoque transilire solet, diligenter curandum est, ne ardens ille amor in libidinis amorem convertatur. Ut enim legimus (*in cap. orig.* 32.*q.*4): *Adulter est, in sua uxore amator ardentior, in aliena quippe omnis amor turpis est, in sua nimius; sapiens ergo vir iudicio debet amare coniugem, non affectu, regendo impetus voluptatis, ne praeceps feratur in coitum. Nihil est foedius, quam uxorem amare quasi adulteram;* haec ibi.

Atque ex his omnibus, quae hucusque diximus, colligo, quod cum matrimonium, non solum in quantum sacramentum, sed quatenus quidam naturalis contractus est, ad filiorum procreationem sit ordinatus, et mutuum amorem inter virum, et uxorem fovendum, multaque bona secum afferat, etiam in statu innocentiae vigeret, si Adam non peccasset: licet enim gravissimi patres, divus Hieronymus (*lib.* 1. *adv. Iov.*), divus Damascenus (*lib.* 2. *fid. cap.* 30, *et lib.* 4. *cap* 25), divus Chrysostomus (*homil.* 18. *in Genes.*), Euthymius (*in comment. hui. loc.*), a statu innocentiae nuptias omnino excluserint, quos secutus Barsepha Syrus (*in lib. de Parad. par.*1. *cap.* 25) haec verba habet: *Dicimus, humanum genus fuisse tunc multiplicandum, et quidem absque concubitu: nam et angeli multi evaserunt, sed absque nuptiis*. Ceterum tantorum venia, celebres alios Ecclesiae patres sequens, nulla ratione dubitari posse autumo, in statu innocentiae, si perseverasset, futuras esse nuptias, et per commixtionem maris, et foeminae filios esse progignendos: ita affirmat divus Gregorius (*in Ps.* 50) dicens: *Primi parentes sine peccato filios ederent, si in paradiso positi in conditoris obedientia perstitissent*. Idem docuit divus Augustinus (*lib.* 9. *sup. Gen. ad lit. cap.* 3), d. Thomas (1. *par. q.* 98. *art.* 2), Hugo Victorinus (*lib.* 1. *de Sacr. par.* 6. *cap.* 24), et alii. Unde communis est theologorum sententia, matrimonium ante peccatum in officium fuisse naturae, hoc est, ad gignendos liberos institutum; post peccatum vero, etiam in remedium concupiscentiae datum; quam doctrinam desumpserunt ex eodem Augustino (*l.* 9. *in Genes. ad lit. cap.* 7) dicente, *quod sanis possit esse officium, sit aegrotis remedium*. Sanos vocat existentes in statu innocentiae, aegrotos vero genitos post peccatum. Ratione etiam duplici idipsum comprobo; tum quia in statu innocentiae duxit primus parens uxorem, non

ad aliud certe, quam ad procreandos filios, ut apertissime indicant verba ipsius Dei dicentis (*Gen.*2): *Faciamus ei adiutorium simile sibi;* hoc autem adiutorium, ut ibi adnotat divus Augustinus, erat ad generationem filiorum ordinatum: *Si enim*, inquit, *ad adiutorium gignendi filios non est facta mulier, ad quod ergo facta est?* tum quia in statu innocentiae Adamo, et Evae dictum est a Domino: *Crescite, et multiplicamini;* huiusmodi autem multiplicatio non erat solo nutu Dei facienda, sed viro, et foemina cooperantibus: ad Dei enim providentiam pertinebat, ut sicut, quia angeli non possunt alii ex aliis generari, ipse per se solum illos crearet; ita ad suavitatem eiusdem providentiae spectabat, ut, quia homines ab hominibus nasci possunt, non nisi media generatione, viro, et foemina concurrentibus, procrearentur. Esset igitur in statu innocentiae sine dubio nuptiarum, et matrimonii usus. Illud tamen summum interesset discrimen, quod, nunc extincto illo felici innocentiae statu, defecit, ac originalis iustitiae fraeno abiecto, concupiscentia, instar indomiti equi, ferociit; nuptiarum vinum defecit, frigida relinquitur aqua, atque insipida; cum ardore libidinis filii generantur, cum taedio ventre portantur, cum dolore in lucem eduntur, cum labore educantur: paupertas non semel coniuges affligit, zelotypia vexat, rixae incendunt, moeror torquet, curae premunt, matrimonii pondus obruit, mors denique separat; a cantu nuptiae incipiunt, in luctum desinunt. E contra vero in statu illo innocentiae nullus fuisset libidinis ardor, ut docuit divus Augustinus (*in c.* 3. *Genes.*): *Non video*, inquit, *quod prohibere potuerit, ut essent eis etiam in paradiso honorabiles nuptiae, et thorus immaculatus; hoc praestante Deo, ut sine ullo inquieto ardore libidinis foetus gigneretur*. Praeterea caruissent nobiles illae nuptiae pariendi doloribus, teste ibidem eodem Augustino, nam partus dolores foeminis attulit peccatum, iuxta illud (*Genes.*3): *In dolore paries filios tuos*. Tertio nulla in illis fuisset discordia, nullae mariti, et uxoris rixae, sed mutua, summaque charitas: non enim capax erat status ille rixarum. Quarto, nullus moeror, nullus in illis nuptiis fuisset labor. Quinto, nullum fuisset adulterium, nulla zelotypia. Sexto, suavissima fuisset liberorum educatio. Septimo, neque mariti mors uxorem, neque uxoris mors maritum maestitia affecisset. Octavo, summa fuisset uxoris erga virum obedientia, summus viri erga uxorem amor, ac tandem nulla esset paupertas, nulla matrimonii onera; sed magna in Deo voluptate fruerentur: cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA II.

Matrimonium ex ea praecipue causa dissuadetur, quod valde difficile sit, probam invenire uxorem; si tamen nubendum sit, mutuus inter coniuges oportet vigeat amor, ut felix sit connubium, in eadem verba: Nuptiae factae sunt in Cana Galilaeae.

Quamvis non difficilear, bonum, ac laudabile esse matrimonium, Apostolo dicente (1. *Cor.* 13): *Honorabile connubium, et thorus immaculatus;* nemo tamen catholicus mihi inficiabitur, laudabilius esse non nubere, eodem Apostolo id attestante (1. *Cor.* 7): *Bonum est homini, mulierem non tangere*. Omissis autem permultis rationibus, quibus ad id suadendum uti potuissem, eam solum in medium producam, quam quidam philosophorum dixit; quia *rara phoenix, mulier bona*, cui consonat illud d. Hieronymi: *Optima foemina, rarior est phoenice*. Unde, qui nubet, si hanc phoenicem non inveniat, magno periculo se committit, ac ingenti illi malo se involvit, ne pro Sara Agaram, et pro Rachele Liam, et pro proba improbam ducat: nulla enim truculentior, et inhumanior bellua, quam mulier mala. Quid inter quadrupedia animalia leone saevius? sed nihil ad hanc: aut in serpentibus, quid dracone atrocius? sed hic quidem cum muliere mala, et linguosa conferri non potest: nam et leo, et draco in malo inferiores sunt, ut Salomon dixit (*Eccl.*25): *Cohabitare leoni, et draconi melius est, quam cum muliere mala, et linguosa*. Et ne putes prophetam per ironiam hoc dixisse, ex ipsis rebus disce manifestius. Danielem in lacu leones reveriti sunt, iustum vero illum Nabothem, Iezabel interfecit. Coetus in ventre lonam custodivit; Dalila autem Sampsonem circumventum illecebris, raso etiam capite deformatum alienigenis tradidit. Dracones, et aspides Ioannem Baptistam in deserto viventem subdita virtute timuerunt; Herodias vero eidem caput abscidit. Heliam in monte corvi paverunt, et Iezabel post illam redditae per ipsum terris pluviae gratiam, eundem persequebatur: timuit Helias, et abiit in desertum, qui totius mundi statum, et coeli pluviam linguae potestate portaverat, qui ignem e coelo eduxerat, qui mortuos suscitaverat, hic timuit mulierem. Non est quidem malitia super malitiam mulieris. Per mulierem Adamum satan in paradiso prostravit, et de paradiso exterminavit. Per mulierem mitissimum David in homicidium Uriae armavit. Per mulierem sapientissimum Salomonem in praevaricationis sacrilegium praecipitavit. Per mulierem, fortissimum Sampsonem ligavit, enervavit, excoecavit, et in manus hostium tradidit. Per mulierem castissimum Ioseph vinculis alligatum detrusit in carcerem. Per mulierem diluvium in totum orbem induxit, et vix septem animas propagando generi reliquit. Propter mulierem Madianitidem populum Israeliticum fornicatione, et idololatria comma-